



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Indictione Fvtvri conuentus. Tit. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

DE INDICTIÖN E FVTVR
conuentus.

T I T. VII I L.

CONVENTVS antequam di-
mittatur, Vicarius plebanus, cer-
tam illius qui proximè futurus est, diem
locumque constitutum ex præscripta
formula indicat & significet.

Statuet item de eo, qui ex omnibus con-
cionem ad populum habiturus est; & de
altero item qui potissimum ad clerum,
si fortasse ita oportere iudicarit.

Deligat etiam Sacerdotem, qui Missam
conuentalem celebret; & ministros,
diaconum, subdiaconum, & acoluthos;
cæreniarum item præfectum, à quo
cæteri in sacris literis minus versati in
strui possint ad cæreniarum usum.

Deligat autem ad id munera illum po-
tissimum, quem maximè omnium ido-
neum existimauerit.

Declareret præterea nominatim, qui sa-
cerdotes in futuro conuento Missas sine
cantu celebrant: quoniam non ab omni-
bus celebrari opus erit, sed ab iis tan-
tummodo, qui & propius absunt, & ea-
rum ecclesiarium sunt, que præter paro-
chum alios habent Sacerdotes, quæve
minore habent populi multitudinem.
Nec verò plures Sacerdotes aliunde ad
Missas celebrandas euocetur, quam qua-
tuor, vel ad summum sex.

Hunc ministrorum delectum, indictio-
nemque futuri conuentus, Vicarii iussu
cancelarius de scripto pronunciet.

Eius porro ecclesiæ, in qua conuentus ha-
bebitur, rectori, propter multas occupa-
tiones quibus necessariò distinebitur,
ne munus adiungatur ut Missam canat:
sed liberum ei sit, summo mane celebrare.
Ne cui impositum à Vicario munus de-
rectare cum altercatione liceat.

Si quis autem impeditus legitimè erit,
quo minus id munus obire possit, qua-
decet modestia, illud ipsi exponat, eius-
que iudicio audiens erit, atque obediatur.
Quod si injuriam sibi fieri aliquando
putarit, ad Episcopum confugiat, qui
rem totam cognoscat, atque dijudicet.
Præterea quibuscum ei videbitur etiam
separatum sigillatimque ager, ut eo die

mane in Ecclesia frequentes esse velint:
tum verò illud omni studio curabit, ut
reliquis populus sibi commisus, terre-
nis negotiis posthabitis in Ecclesia fre-
quens diuinis officiis intersit, cogitatio
nemque & animum ad spiritualem hanc
actionem adiiciat. Quamobrem graui,
charitatish; plena cohortatione illum
accendet, cum ad cætera pietatis offi-
cia, tum in primis ad cōfessionem, com-
munionem, frequentius orationis stu-
dium, & ad preces etiam pro defunctis.

Parochus, apud quem conuentus pro-
ximè habebitur, die dominico antece-
denti constitutam, illius diem populo ex
Decreto Concilii Prouincialis secundi
denunciet: eumque cohortetur, ut ad
Ecclesiam frequens ea ipsa die conue-
niat, ut orationis, quæ pro mortuis vi-
uisque fiet, particeps sit; utque vnius
etiam anni indulgentiam à Sanctissimo
Domino Nostro Gregorio Decimoter
tio concessam, cuius exemplum in huius
libri parte ultima editum est, & aliam
præterea dierum quadraginta ab Epi-
scopo datam consequatur; cum illam
ab unoquoque Episcopo in sua diœcesi
iis concedi decretum sit, qui in conuen-
tu diœcesano diuinis officiis concioni-
que intererunt.

Pridie diei conuentus, solenni ion-
gioriq; campanarum sono vesperi pau-
lo post salutationem Angelicam, & ip-
so etiam die quo conuentus celebratur
summo mane celebritatatem hanc popu-
lo significet.

Vicarii autem munus erit, ea refecare,
quæ populo occasionem præbere qua-
cunque ratione possint, quominus mane
eo die in ecclesiam conueniat ad diuina
officia, ad concionem audiendam, & ad
preces pro se, pro suisque omnibus vi-
uis & defunctis fundendas.

Quem etiam hoc præmonebit, ut alii
quando de officio patris familias, insti-
tutioneque christiana sermonem accu-
ratè, studioseque instituat: ac præterea
de frequenti orationis usu cum populo
agat, eundemque accendet etiam atque
etiam ad illud in nostra prouincia

institutum vespertinæ, &
matutinæ ora-
tionis.

C C 4 D E

Tit. 2. decret
30. pag. 69.
§. Parochus
verò.